



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Natales Sanctorvm Belgii, & eorundem Chronica  
Recapitvatio**

**Molanus, Johannes**

**Dvaci, 1616**

Vigesima quarta Nouembris.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-9477**

tarunt, præsertim Stephelinus quidam, sub Guntrammo & Alardo secundo abbatibus.

Festum eius etiam Vſuardus notauit die vi-  
gesimo tertio Nouembris. Sed & Wandelbertus,  
nono Calendas Decembris, cecinit:

*Nonam Papa tenet Clemens certamine in vndis,*

*Hicque suos Trudon mundi contemtor adornat.*

Secundum ipsius & beati Eucherij festum, quod  
translationis dicitur, celebre est die vndecima Au-  
gusti, & historico sermone decoratum à Theodo-  
rico abate, qui ex diui Petri Gandauensi cœnobio  
euocatus, abbas ad sanctum Trudonem creatus  
est anno millesimo nonagesimo octavo, & disci-  
plinam ex opulentia collapsam restituit. Nord-  
mannica autem clades, tertium addidit patronum  
martyrem sanctum Libertum.

## Vigesima quarta Nouembris.

*De sancto Sario presbytero.*

*Ex rescripto Domini Stephani Brustini Pastoris Came-  
racensis.*

**C**Ameraci, in ecclesia Dei genitricis beatæ  
Mariæ, beati SARII presbyteri & confes.  
Sed Gerardus primus, qui Cameracensis mona-  
sterium S. Andreæ construxit, illuc honorifice  
cum virgine & martyre S. Maxellende predictum  
sacerdotem Dei transtulit. Porro dictis in locis  
& Lambriæ prope Duacum, ubi patroni nomi-  
ne colitur, officium diei eius nihil proprium ha-  
bet, apud Cameracenses nono, apud alios octa-  
uo Kalendas Decembris. Obtinuit autem Ste-  
phanus episcopus à rege Franciæ villam Lâtres,

cum officina monetæ & teloneo, quæ nunc Dñaci habentur. In eodem vico Sigebertus rex sepultus<sup>b</sup> fuit: sed frater, Chilpericus rex inde eum Suezionas transtulit, ad ecclesiam quam sancto Medardo construxerat. Cuius Fortunatus in vita Medardi meminit.

Cap. 33.

a. *Illiis sedis 22. qui cepit sedere anno 896. usque ad 934.*

b. *Anno 586.*

### Vigesima septima Nouembris.

**i<sup>o</sup>.** *De sancta Oda, virginе Rhodensi.*

*Ex historia ecclesiæ Rhodensis, & literis domini Gisberti Coeuerinx Rhodani.*

**I**N Taxandria Brabantiae, depositio S. ODA virginis, filiae, ut fertur, regis Scotorum: quæ Rhodæ corporaliter patrona requiescit.

Hæc cùm cæcitate esset correpta, fama signorum & prodigiorum euocata est Leodium, ad reliquias S. Lamberti martyris, vbi lumen oculorum recepit, & castitatem suam Christo subarravit. Cùm verò pater vellet eam secularis vitæ usibus informare, & matrimonium contrahere, ipsa diuino ufa consilio, peregrina in Taxandriam deuenit, suaq[ue] sanctitate Rhodenæ territorium sublimauit, in quo obiit circa annum septingentesimum decimum tertium. Domina autem quædam nobilis, propter miracula, quæ Deo auctore ad tumulum sanctæ siebant, presignatum Rhodenæ territorium, ecclesiæ S. Odæ hæreditariè obtulit. Eleuata est è tellure per Otbertum episcopum Leodiensem, anno millesimo centesimo tertio.

Cur